

superant se continue secundis 56. In secunda vero Minuto 1. secundis 53. & in tertia Minutis 2. secundis 49. &c. Quare si differentia inter gradus, minuta, ac secunda Quadrantis 39. & Quadrantis 40. adijciantur ordine ad gradus, minuta, ac secunda Quadrantis 40. componentur gradus, Minuta ac secunda Quadrantis 41. Differentia autem inter gradus, Minuta ac Secun. Quadrantis 38. & Quadrantis 40. addita ordinatim gradibus, Minutis, ac secundis Quadrantis 40. conficiet gradus minuta, ac Secunda Quadrantis 42. Sic quoque differentia inter gradus, Minuta, ac Secunda Quadrantis 30. & Quadrantis 40. appositae gradibus, Minutis, & secundis Quadrantis 40. component gradus, minuta, & secunda Quadrantis 50. &c.

SEQUITVR TABVLA QVADRANTIS PAVLO ANTE constructi, vbi singuli arcus producti distribuuntur in 128. partes æquales: in qua statim apparet, quot Gradus, Minuta, ac Secunda singulis particulis cuiusvis quadrantis respondeant: cuius quidem vsus supra exposuimus.



C 3